

TRISTISSIMÆ ORBITATI  
 PISSIMORUM PARENTUM,  
 NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE VIRI,  
 D. TOBIÆ SEBASTIANI  
 PRAUNII,  
 IVRISCONSVLTI, & DIVERSORVM PRINCIPVM  
 STATVVMQVE IMPERII CONSILIARII ATQVE AD  
 AULAM CÆSAREAM CONSTITUTI AGENTIS,  
 NOBILISSIMÆQVE MATRONÆ  
 D. ANNÆ SUSANNÆ  
 STAINERÆ,  
 OPTIMIS QVIBVSQVE SEXVS SVI ORNAMENTIS  
 CUMULATISSIMÆ CONJUGIS,  
 OMNES LIBERORVM RELIQVIAS  
 DELICIASQUE SUAS  
 IN DVLCISSIMO INFANTE  
 GOTTLIEB-TOBIA,  
 SUMMO CUM ANIMI MOERORE INFERENTIVM  
 TVMVLO,


*Qualecunque Solatium*

FRATERO AFFECTU SUGGESTIT  
 CONDOLENS AFFINIS  
 IOH. CONR. BARTHIVS,  
 ARGENTORATENSIS.

---

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis JOAN. BAPT. HACQUE. 1678.





Ectori Vir fide poli terræque Dynastis  
 Et raro nexu juxtâ jam care Deoque,  
 Principibusque viris, in quantum seria  
 coelo  
 Diligitur pietas hominumque mere-  
 tur amorem  
 Officiis animus gnarusque & gnavus  
 agendi,

Quod Dominos Populosque juvet, quod servet amicos  
 Fraude omni fucoque procul, quis tristior aures  
 Allapsus nostras, per totam ut diditur urbem  
 Rumor & ingenti latè replet omnia luctu?  
 Ten' omni jam prole orbum? restareque nullum  
 Aut natum, ad seros qui nobile nomen Avorum  
 PRAVNIADVM, patriâ nunc auctum laude, ne-  
 potes

Provehat? aut natam, per quam Te digna Marito  
 Dignetur Generum STAINERO sanguine Mater?

Heu! ipso liquisse parum est in limine vitam,  
 Qui fuerat spes una (a) domûs, vis mascula Patris  
 Una, nisi celeret quoque fila sororia Clotho.

Jamque salutatum properantior ibat I V L I  
 BERTHOLDI fratris manes, Patris illa voluptas,  
 Illa decus Matris, cujus nomenque genæque  
 Mixta (b) ROSIS suavi referebant LILIA plexu;  
 Præteriére rosas, nec non fragrantia longè  
 Lilia mentis opes, his jam florentibus annis  
 Nil nisi præclarum spirantis: at expiravit  
 Exanguique rosæ pallent & lilia vultu.

Flore cadente rigent spinæ punguntque relictos,  
 Et proh! consilium cœli, nascentis IESV  
 Inter Festa, datam cùm gaudet ab æthere tellus  
 Læta Dei sobolem, raptam hanc gemuere Parentes.

Nec nôrant turbanda pari sacra gaudia luctu,  
 Si redeant; superest cui pulcrum in nomine morum  
 Exemplar GENITRIXQUE DEI (c) COGNA-  
 TAQUE præfert:

Illa quod hac nequirit vita, meliore decenter  
 Expressura, gradu sequitur veloce Sororem.

Exaturasse duo poterant hæc unius anni  
 Funera jam mortis fauces; dum viveret unus,  
 Qui, si quid pia vota valent sobolemque Parenti  
 Denatam mundoque ipsum reparare Parentem  
 Serus adest: at adest, Patriæ quo nomina laudis  
 Vivo viva micent, ceu, si qua absumitur usu  
 Lucendoque perit, flamma quandoque suprema  
 Fax similem accendens jam non extincta videtur.  
 Viveret exemplo tanti Genitoris AMATOR  
 Ipse DEI (d) CARVSQUE DEO, PROBITA-  
 TIS & æquè

Ac tituli fundique hæres ex asse paterni!

Eheu! quam prima tantam promisit in herba  
 Gratahntum pia spes, ipsa intercepit in herba  
 Necdum spicatum Leti falx invida messem.  
 Poenitet esse probum, si merces ista laborum  
 Aut iusti certè solatia nulla doloris.

Quò verò abripimur, miseri que audemus homilli  
 Profectura nihil convicia dicere cœlo?  
 Sic Domino visum est. Et pro ratione voluntas  
 Vna satis. Nec velle tamen jam sustinet ille  
 Cum nostro nisi juncta bono; nemoque piorum

Ante

Ante diem effertur, nisi ( si, caligine mentis  
Cum lacrumis posita tantisper, vera fatemur )  
Immensoque suo lucro damnoque suorum  
Aut nullo aut tali, quod foenora larga rependant:  
Tantò certa magis, quantò subduxit amicos  
Mors citiùs nostrisque oculis omniq̃ue periculo.

I proin, i pernix, TOBIA parvule, plausu,  
Non fletu comitande, tuam cùm pondero sortem.  
Quandoquidem placitis animabus pronior Æther  
Incumbit, ne qua terrestris adulteret orbis  
Fece sua, rapiturque prior, quem Numen amavit,  
O ! nimium dilecte DEO, (e) tibi fata dederunt  
In primis cœlo jam maturescere cunis.

Sic, ubi propositum qui multa ambage Viator  
Emititur iter, longo per tædia mille,  
Annorum tractu, lentis & passibus ægrè  
Latronum fugit insidias rictusve ferarum;  
Vt tamen hæc parcant, mox per declivia præceps  
Ipse ruit : tu mira viæ compendia nosti,  
O ! Puer, & propero superas hæc omnia saltu,  
Præter & hæc ipsas quidquid cum corpore mentes  
A Styge vel Terra infestat tacitoque vel astu,  
Vel rabie patula vult cœli avertere regnis.

Litiget, ad Superos FIDEI quæ semita ducat,  
VITÆ quando via scelerosæ tendit in orcum  
Mundus, & aut vario dubios errore fatiget,  
Aut secum incautos stagnis demergat Avernis;  
At tu decursa felix ô ! pusio meta  
Momento discens, ægrè quod tota docerent  
Secula, jam Veri certus sine lite Bonique  
Possessor stas absque metu : te nemo Tyrannus  
Dejicit armata vi, nemo fraude Sophista.

Plangant vicinis (f) quæ mœnia condita Gallis  
 Te verò in tuto, quovis procul hoste, receptum  
 Nec Galli strepitus quidquam movet irrequieti,  
 Torvus lunato nec terret acinace Turca:  
 Ne quidquam accinctus te terra arcessere sancta,  
 Aut patrio turbare solo, cui quæque profana est,  
 Et fastiditur præ cœlo barbara tellus.

At vestra hæc urunt, ô! mœsti, corda, Parentes,  
 Divini in vestros, an & in vos, signa favoris,  
 Lætarique piis & in hac malletis & ista  
 Vita pignoribus Thalami. Non damno paternos  
 Affectus; dandusque locus tempusque dolori est  
 Et lacrumis: at erit, cùm, quam nunc fletis euntem,  
 Præoptasse sibi Pubem, quod tutius, æquè  
 Jam vos exhilaret nullo remorante sequentes.

O! bene prærepti quoscunque relinquere durum!  
 O! facilis jactura: omni jam prole carere,  
 Vt nullâ æternùm careas! O! discite cuncti,  
 Quantis exolvat morientùm pectora curis:  
 Quod carum, ad sedes jam præmisisse beatas,  
 Et reliquum nil scire sui, quod devius error  
 Aut indefletæ mittant sub Tartara culpæ!



JULIUS  
 no 1664. die  
 mensis Martii

SUSANNA  
 Schannah, vi  
 Phœnicum li  
 tib. Liliis con  
 ta Anno 1666  
 23. mensis D

MARIA H  
 die 1. mensis  
 cembris.

GOTTLI  
 1677. die 28  
 fis Martii.

Theophilus  
 21. yag. 8. 11. 12.  
 Quem Dii a

Lucanus lib.  
 O! malè vicini



- (a) JULIUS BERTHOLDUS, Filius tunc unicus, natus Anno 1664. die 21. mensis Novembris, denatus Anno 1666. die 17. mensis Martii.
- (b) SUSANNA ROSINA, Lilium & Rosa, à שושנה Scho-  
schannah, vide Cantic. Canticor. cap. 2. v. 2. *ששון*, Lilium veteri  
Phœnicum linguâ, teste Etym. unde & Susa Persiæ, quia frequen-  
tib. Liliis confita, & *ששיון*, oleum liliaceum per Athen. l. 12. Na-  
ta Anno 1666. die 28. mensis Septembris, denata Anno 1676. die  
23. mensis Decembris.
- (c) MARIA ELISABETHA, Filia primogenita nata Anno 1663.  
die 1. mensis Augusti, denata Anno 1677. die ultima mensis De-  
cembris.
- (d) GOTTLIEB TOBIAS, Deo carus & probus, natus Anno  
1677. die 28. mensis Septembris, denatus Anno 1678. die 6. men-  
sis Martii.
- (e) Theophilus. Confer Sapient. cap. 4. vers. 10. cum Menand. Sent.  
*ὅτι γὰρ Θεοὶ φιλεῖσιν ἀποθνήσκει νέος.*  
Quem Dii amant, moritur juvenis.
- (f) Lucanus lib. 1. Pharsal. vers. 248.  
O! malè vicinis hæc mœnia condita Gallis!



